



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

S. Aninas Anachoreta Thavmatvrgvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

Sed ubi causam facti didicit, præcepit ut insepultus relinqueretur. Videbimus, inquit, an Deus illū suus sepultura dignaturus sit; apposueruntque excubitores, qui sacros eius exuvias corporis custodirent. Sub noctis verò conticinium, germani illius omnibus custodibus somno sepultis, truncum corporis illius ad locum à S. Martyre desideratum transtulerunt, ipsiq; fratres somno ibidem correpti obdormierunt, ubi vni ex illis visus Martyr, capitis, inquit, mei quo Christum confessus sum, properandi studio obliti estis. Experrectus ille narrauit aliis, quæ sibi à fratre dicta essent, & per densam noctem remensus iter, anceps quid faceret, hæsit; sed ubi ad locum in quo cæsus erat peruenit, illustre sidus super Martyris verticem apparuit. Accepto ergo capite gratulabundus ad fratres remeavit, quos porro progressuros prohibuit martyr, qui nobiles reliquias ibi reponi iussit; quod sit ad laudem Dei nostri, cui gloria in omnes æternitates, Amen

xvi. Martii. S. ANINAS ANACHORETA THAVMATVRGVS.

H 1 8

Hic S. noster Pater à prima ætate, nullo magistro, ad mansuetudinem & vitam quietam propensus, latere studuit, & sibi vacare.

Sedecennis enim utroque parente orbatus, relictis omnibus, solitudinem petiit, repertoque viro quodam religioso, cui Malumano nomen erat, paupertati in paucis deditissimo, sese illi addixit, pariterque cum eo peruigilabat, & precabatur. Tanta amborum erat abstinentia, uti sæpè, per dies quadraginta, quod essent, ex inopiâ non haberent. Et cum tam artè contenteq; viverent, perinde tamen atque si inter cupedias regias degerent, oblectabantur. Sed aliquanto post tempore, huius (Aninæ) institutor & magister, ab eo cogitabat discedere, quod & fecit. Hic verò perbeatus ad illum: Da veniam venerande pater: mihi non est animus hinc recedere. nempe, quo Deo duce peruenerat, ibi perdurare decreuit. Exhibat tamen sæpius ad interiores eremi saltus, ad viginti vel triginta dies, suamque post liminio cellulam repetiuit, & cum omninò cupiditates corporis mactauisset, vicissim illi Deus præstitit, ut obsequentes haberet feras. Nemini enim obscurum erat, geminos illi leones quocunq; se con-

*in hodiernis
legendum.*

*Idē B. Ge-
vasimo nō
Hierony-
mo, & vul-
gus censet,
alijsq; ac-
cidit.*

*I. Moschus
Euxratus
c. 107. &
alijs.*

se conferret assidue comites fuisse, cumque ex illis alter pedem spina induisset, beatus extracto paliuro, pedem diligenter obligavit & curavit. Iam fama passim de illo increbrescente, ingens hominum, vitorum iuxta ac feminarum copia, qui secum agros deducebant, ad eum confluxit, quos ipse, quocunque morbo laborarent, per inhabitentem Spiritus sancti gratiam, solis precibus restituit. Prætermissa igitur in interiorum solitudinem excursionem, in cellula sua permansit. Sed aqua incommodè suppeditabat, ex Euphrate enim, qui milliaria quatuor aut quinque aberat, petebatur. Ac prius quidem raro deferebatur, nec enim erat necesse. Sed ubi vis hominum tanta concurrat, visum est Sancto aquam ad usum peregrinantium providendam. Cisternam ergo modicam effodit, in quam caelestem aquam colligeret. Enimvero cum illa angustior esset, & multitudo peregrinorum fontem exhausisset, aliaque turba superueniret, & ministro ut aquam hauriret, imperaretur, intelligeretque Sanctus, nec unum quidem scyphum impleri amplius posse, quoniam iam pridem fons exhaustus esset, sublatis in caelum oculis, imoque ex pectore suspirans, hilari mox vultu ad ministrum, age abi, inquit,

quit, fili, ego tibi Domini impero nomine,
 vt haurias, & aquam subministres. paruit
 ille, & ò miraculum obstupescendum, ci-
 sternam aqua plenam redundantemq; in-
 uenit, eoque rem proclamante, mirificissi-
 mum factum omnes oculis inspexerunt,
 & desilientes, recentemque & limpidissi-
 mum laticem haurientes, præ stupore at-
 toniti laudes Deo immensas gratulati sunt,
 qui diligentes tanta gloria afficeret. Huius
 miraculi triumphum, vt Sanctus opprime-
 ret, ipse cœpit fontem ex Euphrate postea,
 quemadmodum & ante consuevit, suppor-
 tare. Per singulas ergo noctes æternus illi
 labor erat, vt aquam ex Euphrate deferret.
 Cumq; rursus alio tempore frequentissi-
 mus populus adesset, & pureus siccatus es-
 set totus, (venerandus) hic senex, arrepto
 vasculo ad flumen properauit, nec dum ad
 iactum lapidis progressus reuertit, vt ij qui
 aderant, existimarent illum ob corporis in-
 ualetudinem regressum, occurrunt ei, vno-
 que hydriam ex manibus extorquente, vt
 ipse aquam ex Euphrate hauriret, cum ad-
 uerteret, videretque vrceum aquâ plenum,
 magna voce exclamauit. Date gloriâ Deo:
 ex bracchiis patris aqua viua promanauit.
 Accurritur certatim, spectatâque hydria,
 M frigidâ

frigidâ plena, supra modum admirati, ad pedes eius se prouoluerunt, precati ne suâ causâ tantum laboris aquæ ferendæ amplius subiret. Quod nisi, inquit, hoc miraculum accidisset, omninò ex ipso Euphrate aquam delaturus eras. Sed perbeatus ille vicissim & se in terram abiecit, seseq; puluerē & cinerem, ac vermiculū postremissimum appellitabat. Tunc Cæsareæ pontifex, cum intellexisset aquam ab ipso Sancto portari, iumentum ad onus subeundū, senemq; liberandum eò destinavit. Interim inopia quidam, & ære alieno oppressus ad virum S. venit, suamq; illi calamitatem exposuit. Hic cum nihil quod daret, haberet, nec vacuum tamen vellet à se dimittere: asinum, inquit, hunc vende, & creditori satisfacias. Episcopus cum hoc rescisset, alterum donauit, & hoc inquit, iumentum non ad tuum tibi arbitrium permitto; sed vt aquam ferat, cumq; mihi illius vsus erit, illud abs te repetam. Paulò post venit alius rogator, qui cum ex Sancti inopiâ nihil quod acciperet, videret, asinū accepit. Hoc rursus Episcopus edoctus, nouam hydrothecam effodit, quâ submissis iumentis aquâ repleuit, iussitq; iumenta sibi per seruos reduci. Erat per id tempus
in ea

in ea viciniâ Stylita quidam percelebris, cui cum altero quodam, impulsu dæmonū, lis erat & pugna, ita vt lapide quoque peteretur & læderetur Stylita, qui irritatus cœpit velle iniuriam ultum ire, ac de statione columnæ suæ descendere, perturbatoresq; vindicare. Quod Aninas verè homo Del cum diuinitus cognouisset, per leonē scriptam misit epistolam. Stylita viso leone grammatophoro, ingenti percussus est terrore. Discipulus autem acceptam à leone epistolam Stylitę reddidit, quam cum legisset, paruit ille admonitioni, vindictâque Deo permisâ, rescripsit per leonem beato Aninæ, magnas se Deo & seruo eius agere gratias.

Matrona graui morbo vexata ad virum sanctum contendebat, cui cum in itinere barbarus occurrisset, stuprum inferre nitabatur, quem illa solo Sancti appellato nomine cicuratum à sententia deduxit, qui cum explicata manu hastam, (quam antea defixerat in terram, quam illam aggredere- tur,) reperisset iam radices egisse, inusitato prodigio attonitus, & ipse ad sanctum virum aduolauit, à quo in Christiana lege institutus sacrum baptisma suscepit, mansitque cum viro sancto, & sanctissimè vixit.

M 2

Femina

Femina porro curata, letitia gestiens reuertit. Multa alia supra vim naturæ memoranda designauit Sanctus, quæ ne fastidium crearemus lectori, quamuis inuiti præterimus. Quinque ergo supra nonaginta annos in hac virtutis palæstra versatus, cum nunquam ab ea declinasset, nec locum mutasset, ad decimum ultra centesimum ætatis annum peruenit, multis variisque editis vaticiniis & prædictionibus, quas omnes euentus ipse comprobauit. Tandem magno fratrum cœtu collecto coactoque, vnâ virtute cæteris præstantiorem selegit: & huc, inquit, Deus pastorem in meum locum designauit. simulq; manu indigitabat & complectebatur, omnibusque benè precatus, post dies septem ad Dominum abiit die sexta decima Martii.

24. Aprilis Sa. THOMAS MARTYR.

HÆc Alexandrina fuit, à parentibus, ad omnem honestatem erudita, literis imbuta, tandemque viro nupta, apud quem prudenter se & commodè gessit, magnaque cum laude honestatis & temperantiæ vixit. Cum ergo in ædibus mariti dege-